

na, quam ex aliquo jure. Abbas in d. c. *Cum Ecclesia*. n. 24, h. t.

159. *In nonnullis vero sufficit unicus actus; et quando?* — Loquendo tamen de illis materiis, quarum actus non facile absque expressa protestatione solent concedi ratione amicitiae, ac ex mera gratia; ut puta, quod extraneus, sive non existens de gremio capituli, admittatur ad dandum votum in electione vel quod quis gerat officium judicis, ac hujusmodi: tunc in dubio sufficit unicus actus ad acquirendam quasi possessionem talis juris, dummodo concurrant cætera requisita n. 151 insinuata.

160. *Possessio juris eligendi acquiritur per electionem semel factam absque protestatione.* — Infertur proinde quod quasi possessio juris eligendi acquiritur per electionem semel factam, scientibus et patientibus, seu non protestantibus illis, ad quos spectat electio, arg. cit. c. *Cum Ecclesia*. juncta Glossa γ . In *traum*. h. t. notat Innocentius, et Abbas n. 22, ibid. Concordat c. *Cum de beneficio*. 5, de *Præbend.* in 6, ubi hoc ipsum satis indicatur, dum per promotionem unius etiam clerici, beneficium regulare fit sæculare, quando clericus ille tempore ad præscriptionem sufficientem continuo id possedit.

161. *Idque probatur.* — Accedit ratio, quia cum actus tam graves non facile soleant concedi ex gratia, et mera facultate agendi, absque facta protestatione, arg. c. *Cumana*. 50, de *Election.* et can. *Pontifices*. 7. q. 1, juncta Glossa γ . *Cum cautela*; hinc præsumendum est, quod exercens hujusmodi actum intendebat uti jure suo, et quod dominus id sciens patiebatur eum uti veluti proprio jure. Atqui per hoc jam ipsi acquiritur quasi possessio talis juris: nam in hujusmodi incorporalibus patientia habetur loco traditionis, l. *Si ego emi*, § 1, ff. de *Publiciana*. in *rem action.* cum similibus. Concordat textus in l. I, § *Quæsitum*. ff. de *Aqua quotidian.* et d. l. *Si ego emi*, ubi quasi possessio servitutis per unicum actum, quo quis per domum suam aquæductum transduci passus est, constitui dicitur.

162. *Quid dicendum de quasi possessione jurisdictionis.* — Et ob eandem rationem etiam quasi possessio jurisdictionis, quando omnia capitula jurisdictionalia, sunt contigua et annexa, generaliter obtinetur per exercitium unius actus jurisdictionalis: ut si quis cognovit de una causa, vel aliud quidpiam jurisdictionale exercuit, intentione utendi generali-

ter jure suo; nam hoc ipso acquirit quasi possessionem totius jurisdictionis. Intelligitur dummodo id fiat sciente, et patiente alio, cui paratur præjudicium; vel si hic contradicit, resistat utens dicendo, quod utatur jure suo; nam si is, cui paratur præjudicium hoc ignoret, nullum jus alteri acquiritur. Paulus de Eleazaris, cit. *Repetit.* in c. *In litteris*, n. 19, et seqq. de *Restitut. spoliat.* post Innocentium in c. *Bonæ memoriæ*. 2, de *Postulat. prælat.* atque illico amplius dicitur. Unde,

163. *Ad adipiscendam possessionem jurium incorporalium. requiritur scientia et patientia, prioris domini.* — Quæritur III. An et quomodo requiratur, probeturque scientia, et patientia domini, sive prioris possessoris, ad acquirendam quasi possessionem jurium incorporalium? Resp. I. Certum est, ad hanc adipiscendam requiri, quod dominus, sive pristinus possessor, in cujus præjudicium tale jus incorporale acquiritur, sciat et patiatur ejusmodi actus exerceri. Ita Abbas in cap. II, § fin. de *in integrum. restitut.* et Innocentius ibid.; Paulus de Eleazaris, cit., n. 19, et communis: Idque desumitur ex l. I et II, C. de *Servitut.* ubi ad acquirendam, seu præscribendam contra alterum, servitutem, expresse requiritur, quod actus eam inducentes « nec vi, nec clam, nec precario fiant, sed eo sciente, cui præjudicium generatur: » junctis concordantiis ibidem a Glossa, § *Scientie*, allegatis.

164. *Idque probatur.* — Accedit ratio, quia in incorporalibus, utpote in quibus nequit habere locum vera traditio ipsamet scientia, et patientia domini seu prioris possessoris, habetur loco traditionis, prout liquet ex l. I, § ff. fin. de *Servitut. rustic. prædior.* ibi: « Traditio plane et patientia servitutum inducit officium prætoris. » Ubi Glossa ly, « et patientia, » explicat per ly, « id est, patientia: » hoc ipso denotans, quod patientia in incorporalibus habeatur loco traditionis. Concordat textus, in l. *Quoties*. 20. ff. de *Servitut.* et l. *Datio*. § *Si iter*. ff. de *Action. empti.* ubi proinde summarium inquit: « In incorporalibus patientia est pro traditione. » Quinimo, nisi adesset scientia et patientia domini, seu prioris possessoris, tolerantis tales actus exerceri, eo ipso censeretur alter vi, vel clam possidere; qualis possessio nequiquam suffragatur l. I, cum seqq. ff. *Quod vi, vel clam*. Nunc pergendo, ad alteram partem propositæ quæstionis,

165. *Sententia ejusmodi, unde colligatur?*

— Resp. II. *Scire*, quantum ad propositum, non solum dicimur illud, quod nobis præsentibus, atque intelligentibus gestum est, l. *Testium*. C. de *Testib.*; verum etiam scientia ex multis conjecturis colligi, atque probari potest. Mascardus de *Probationibus*. concl. 1300 n. 1, et seqq. cum communi. Sic quippe præsumitur scientia rei, si res illa fuit nota in vicinia, c. *Quanto*. 8, de *Præsumpt.* Item colligitur scientia ex vicinitate locorum, ac diuturnitate temporis, quo actus aliquis fuit exercitus: unde si quis exercuit jurisdictionem in certo loco per longum tempus, præsumitur scientia vicinorum. Mascardus, loc. cit. n. 15 et 16 citans alios; et plures consimiles scientiæ probationes adducens.

166. *Præsumptio una tollit aliam.* — Nec obstat reg. 47 juris in 6. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. » Nec obstat, inquam: quia præsumptio una tollit aliam, arg. c. *Cum Joannes*, 10, de *Fide instrument.* et l. *Divus*, ff. de *Restitut. in integr.* Simulque in dubio per ejusmodi conjecturas sufficienter probatur scientia.

167. *Patientia domini hoc ipso probatur, quod sciens non reclamaverit.* — Resp. III. Patientia domini quoad propositum eo ipso probatur, quod is seiverit quidpiam in suum præjudicium agi, et non reclamaverit. Nec immerito: cur enim, si nolebat aliquid pati, non clamabat, et protestabatur, cum posset? arg. l. *Si hypothecas*, c. de *Remission. pignor.* ac docet Mascardus de *Probation.* concl. 1159, n. 2, cum aliis. Unde patientia cum scientia conjuncta, censetur inducere consensum, atque æquiparatur ratihabitioni, arg. l. *Quo enim tutiore*, § *Julianus*, ff. *Rem ratam haberi.*

168. *Aut reclamaverit quidem, sed altero resistente postmodum taceat.* — Idem est, si dominus a principio quidem reclamavit, sed altero resistente, et allegante, quod utatur suo jure, postmodum tacet, et patitur: nam talis taciturnitas, seu patientia, habetur pro assensu. Glossa in l. *Si fidejussor*, § *Recusare*, ff. *Qui satisfacere cog.* Paulus de Eleazaris, ubi supra, n. 19; Mascardus cit. concl. 1159, n. 40, et alii. Idque desumitur ex l. ult. § *Item si prædixerit*, ff. *Nautæ, caution.* ubi protestatio, cui consentit adversarius, liberat protestantem.

169. *Nisi forsitan ejus contradictio non prodesset.* — Fallit tamen istud, quando contradictio cujuscumque non prodest; sive, ubi quis actum ab altero exercitum impedire non po-

tuit: tunc enim tacendo, et patiendo talem actum, nemo sibi præjudicat. Nam « culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest, » prout dicitur, in l. *Culpa caret*, ff. de *Reg. jur.* Ad idem facit textus in l. *Si fundus*. § fin. ff. *Locati*. Abbas in c. *Pervenit*, n. 8, de *Emption.*; Mascardus, cit. concl. 1159, n. 47, citans Bartolum in l. *Pomponius*, § *Ratum*, ff. de *Procurat.* et plures alios.

170. *Tacens, an in re onerosa habeatur pro consentiente?* — Dices. Ubi agitur de re onerosa, tacens non habetur pro consentiente, sed potius pro contradicente; ergo nunquam potest acquiri quasi possessio incorporalium ex sola taciturnitate, seu patientia adversarii. Antecedens probatur ex l. *Invitum*, ff. de *Servitut. urban. prædior.* ibi: « Invitum autem in servitutibus accipere debemus non solum, qui contradicit, sed et qui non consentit. » Concordat textus in l. *Filiusfamilias*, § *Invitum*, ff. de *Procurat.* ubi pariter invitus censetur procurator, « qui consensisse non probatur » junctis iis, quæ tradunt Glossa, et doctores, in c. *Qui tacet*, de *Reg. jur.* in 6.

171. *Tacens, an in re onerosa habeatur pro consentiente?* — Ad hanc notabilem instantiam, plures solent afferri solutiones; ubi videre est apud Glossam in can. 1, dist. 27, § *Tacuerit*, et aliam Glossam d. l. *Filiusfamilias*, § *Non probatur*. Breviter tamen respondetur, antecedens non esse universaliter verum, præsertim ubi non agitur de onere magni præjudicii, per jura, n. 167 et 168, allegata, et notat Abbas in c. *Nonne benedictimus*, n. 3, de *Præsumpt.* istud ulterius probans ex l. *Quam Tuberonis*, § *Sunt quidem*, ff. de *Peculio*: ubi ad hoc, ut servus possit habere peculium, non necessario requiritur consensus domini, sed sufficit istud non adimi. Atqui acquisitio quasi possessionis juris spiritualis non est magni præjudicii, cum ante completam præscriptionem facile elidi possit contradicendo.

172. *Taciturnitas vicini non sufficit ad constituendam in ejus prædio servitutem, nisi accesserit præscriptio.* — Ad probationem antecedentis, et imprimis ad cit. l. *Invitum*, ff. de *Servitut. urban. prædior.* dicitur ibi sermonem esse de servitute in prædio vicini constituenda: ad hanc autem de novo constituendam non sufficit sola vicini taciturnitas, sed ob magnum præjudicium, quo fit hominibus servitute quæpiam gravandis, jura pro ejus constitutione requirunt verum et expressum consensum ipsorum. Et quamvis per

actus libertati contrarios possit acquiri quasi possessio servitutis, prout in simili dictum est supra, n. 160 et seqq. non tamen idcirco constituitur, vel acquiritur jus servitutis: nisi etiam tanto tempore tales actus altero tacente exerceantur, ut tandem servitus ipsa legitime præscribatur: Glossa ibid. §. *Invitum*. juncta l. *Hæc autem*, ff. eod.

173. *Ubi agitur de obligatione personali, taciturnitas non habetur pro consensu.* — Ad alterum textum ex l. *Filiusfamilias*, ff. de *Procurat.* desumptum, dicitur ibi sermonem esse de obligatione personali, puta, quod quis constituatur procurator. Est autem regula, quod quando agitur de obligatione personali, taciturnitas non habeatur pro consensu, sed pro dissensu, arg. d. l. *Filiusfamilias*, ac notat Felinus in c. *Nonne*, n. 6, de *Præsumpt.* Idque merito: siquidem obligatio personalis est cæteris gravior.

174. *Fallit hoc in pluribus casibus, et quibus?* — Fatendum tamen, quod hæc ipsa regula fallat, atque limitanda sit in pluribus casibus in jure specialiter expressis. Et primo quidem hoc fit favore matrimonii, ratione cujus filius præsens, et tacens, obligatur matrimonio per parentes contracto, quamvis hæc sit obligatio personalis, cap. un. de *Dispensat. impuber.* in 6. Idem fit favore pupillorum: qua de causa fidejussores a tutoribus nominati, si præsentibus fuerint, et non contradicendo nomina sua referri in acta publica passi sint, jam obligantur l. *Cum ostendimus*, ff. de *Fidejuss. tutor.*

175. *Fallit hoc in pluribus casibus, et quibus?* — Insuper dicta regula, seu quod taciturnitas non habeatur pro consensu, ubi agitur de obligatione personali, fallit in odium contumaciæ. Nam contumax in respondendo habetur vel pro consentiente, vel pro negante, quatenus vertitur magis in suum præjudicium; eo quod judicem contemnere videatur; l. *De ætate*, §. *Qui tacuit*, ff. de *Interrogator. action.* et c. *Si post præstitum, de Confessis*, in 6.

176. *Fallit hoc in pluribus casibus, et quibus?* — Fallit tamen eadem regula, quando præter taciturnitatem intervenit aliquis actus positivus: nam tunc taciturnitas, seu patientia, censetur inducere consensum etiam in principali. Sic, qui scienter recipit litteras, in quibus constituitur procurator, et non protestatur, censetur eis præstare assensum, Clem. 1. de *Procurat.* Huic simile quid habetur in l. *Si filiusfamilias absente*, 18, ff. ad

S. C. Macedon. ubi paterfamilias receptis litteris, in quibus filius petit pecuniam a se mutuo acceptam solvi, continuo debet testationem contrariæ voluntatis interponere: alioquin factum approbare videtur, sicque solvere debet pecuniam mutuo acceptam a filio.

177. *In materia concupiscibili tacens habetur pro consentiente.* — Porro in aliis casibus, ubi jus speciale quid non exprimit, regula est, quod in onerosis, et maxime in obligantibus personam, tacens habeatur pro contradicente: licet secus sit in materia concupiscibili, seu commodum afferente, Abbas in cit. c. *Nonne*, n. 4, et Felinus ibid. n. 19, de *Præsumpt.* post Baldum in l. *Quo enim*, ff. *Rem ratam haberi*, et alios; atque uberius explicant Glossa et doctores in reg. 44 et 45 juris, in 6.

178. *Ad quasi possessionem incorporalium adipiscendam, an requiritur bona fides? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, proponitur.* — Quæritur IV. Utrum ad quasi possessionem incorporalium adipiscendam requiratur bona fides? Hæc quæstio sub aliis etiam terminis proponi solet, interrogando videlicet, an ad acquirendam ejusmodi quasi possessionem sufficiat, quod quis actibus aliquibus intendat uti tanquam jure suo; vel ulterius necesse sit credere, quod utatur jure suo. Et ratio dubitandi, atque hoc posterius asserendi, desumitur ex l. ult. ff. *Quemadmodum servitut. amitt.* ubi dicitur: « Servitute usus non videtur, nisi is, qui suo jure uti se credidit, » cum similibus.

179. *Sententia negativa statuitur, et probatur.* — Resp. I. Ad acquirendam quasi possessionem incorporalium non est opus bona fide, sed sufficit intendere ipsis uti tanquam jure suo. Ita Abbas in c. *Cum Ecclesia*, n. 26, h. t. citans Innocentium ibid. Pirhing h. t. n. 10, vers. *Porro bona fides*, et alii. Ratio est clara, quia, sicut in corporalibus, ita et in incorporalibus dari potest non solum possessio, seu, quasi possessio civilis, quæ est justa, et conjuncta cum bona fide; sed etiam naturalis tantum, arg. c. in *Litteris*, 5, de *Restitut. spoliat.* Ubi pontifex respondet, quod violenter ejectus de possessione beneficii ecclesiastici, in eodem restitui debeat; haud obstante, quod adversarius ipsius alleget, probareque velit eum non fuisse canonicè institutum.

180. *Sententia negativa statuitur, et probatur.* — Atque hoc responsum suum compro-

bat Papa ex eo: quia secundum rigorem juris civilis, etiam prædo est restituendus: hoc autem non procederet, nisi prædo acquireret possessionem (saltem naturalem) rerum male ablatarum; et clericus possessionem beneficii, in quo non fuit canonicè institutus: et consequenter procedit possessio absque bona fide. Cæterum quia ratione prædo sit restituendus, ex professo declarabitur tit. seqq. § 3, n. 59 et seqq.

181. *Solvitur ratio dubitandi.* — Nec obstat conclusioni textus ex l. ult. ff. *Quemadmodum servitut. amitt.* ac supra n. 178, relatus. Resp. enim ibi sermonem esse de præscribenda servitute urbana, ac de possessione ad eam præscriptionem sufficiente: talis enim procul dubio debet esse bonæ fidei, seu quod possidens credat sese uti jure suo: nam « possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit, » juxta reg. 2 juris in 6. Hinc summarium in cit. l. ult. sic habet: « In præscribenda servitute requiritur, quod bona fide quis utatur jure servitutis. »

182. *Bona fides requiritur, ut quis agere possit interdicto de aqua quotidiana, et hujusmodi.* — Fatendum insuper, quod requiratur bona fides, non quidem ad quasi possessionem simpliciter, sed ut quis agere possit interdicto de aqua quotidiana, l. I, § *Aristo*, ff. de *Aqua quotidian.* Vel alio tali interdicto. Nam agens hujusmodi interdicto repellere, si probaretur ejus mala fides: non minus, ac si vi, clam, vel precario possedisset, seu tali servitute usus esset, arg. l. I, ff. *Uti possidetis*, et l. I, ff. de *Itiner. actuque privat.* cum similibus, ubi ejusmodi Interdictum non conceditur nisi illi, « qui nec vi, nec clam, nec precario » actus possessorios exercuit.

183. *Sicut et ad validitatem actus ex tali quasi possessione procedentis.* — Resp. II. Nihilominus quoad validitatem actus ex tali quasi possessione procedentis, v. g. factæ electionis, præsentationis, ac hujusmodi, omnino requiritur bona fides: id est, ad valorem talium actuum necesse est credere, quod quis utatur jure suo. Ita Abbas cit. c. *Cum Ecclesia*, n. 26, h. t. et c. *Cum venissent*, n. 23. De in *integr. restitut.* post Innocentium ibidem; ac Iusius tradit Joannes de Selva, tom. I. *Tractatum*, tract. de *Beneficio*, quæst. 7, n. 1, cum aliis. Et hoc desumitur ex c. *Consultationibus*, juncta Glossa, §. *Credebatur, de Jure patronat.* et c. *Cum olim*, 7, h. t. Ubi Glossa in casu notanter ait, quod ille, qui est electus, et institutus ab eo, « qui

est in pacifica possessione eligendi, obtinet ex sola possessione, licet postea appareat, jus ad alios pertinere. » Ubi ly, « in pacifica, » indicat possessionem bonæ fidei; et quod alias secus foret dicendum. Concordat c. *Querelam*, 24, de *Election.*

184. *Et quæ hujus ratio?* — Accedit ratio: quia generaliter loquendo, licet possessor bonæ fidei fructus faciat suos, non tamen possessor malæ fidei, § *Si quis a non domino*. Instit. de *Rer. divis.* estque jam dictum supra § 2, n. 63. Atqui electio, sive præsentatio, est quasi fructus juris eligendi, seu præsentandi; ut notat Innocentius in c. *Cum venissent. De in integr. restitut.* et Abbas ibid. n. 23, ac rursus c. *Cum Ecclesia*, n. 26, h. t. ergo non mirum, quod eligens, seu præsentans cum mala fide, non debeat consequi fructum suæ electionis, seu præsentationis. Unde, quodcumque constiterit de tali mala fide, et iniqua quasi possessione illius juris, cassanda erit electio; licet secus sit in possessore bonæ fidei.

§ VI.

DE AMISSIONE POSSESSIONIS TUM CORPORALIIUM, TUM INCORPORALIIUM.

185. *An possessio rerum corporalium solo animo amitti possit, quæstio est difficilis, ob apparentem jurium contrarietatem. Textus juris pro parte negativa.* — Quæritur I. An possessio rerum corporalium solo animo amitti possit? Resp. Istud est unum ex difficillimis contrariis juris, ut inquit Udalricus Zasius in l. *Possideri*. § *In amittenda*, ff. de *Acquir. possess.* asserens se semper super eo dubitasse, ac difficile esse realem reperire solutionem. Idque accidit ob quosdam textus juris, satis prima fronte inter se pugnantes. Siquidem in l. *Quemadmodum*, 8, ff. de *Acquir. possess.* dicitur: « Quemadmodum nulla possessio acquiri nisi animo et corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est. » Concordat textus in l. *Fere quibuscumque*, ff. de *Reg. jur.* ubi eadem verba habentur.

186. *Alii textus juris pro parte affirmativa referuntur.* — E contra in l. *Possideri*. § *In amittenda*, ff. de *Acquir. possess.* expresse dicitur possessionem solo animo amitti posse, licet solo animo acquiri non possit, verba ejus sic sonant: « In amittenda quoque possessione affectio ejus, qui possidet, intuenda